



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXVIII. Pia opera, & molestiæ Sociorum Paduæ, & Bononiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

acciuit. Agebat tunc temporis in Monte Cassino Ignatius, & Exercitia Petro Ortizio (de quo antea dictum) Caroli quinti Procuratori suggerebat, illic ubi resciuit de Hozij morbo, magnis ad Deum precibus pro illo insti- tit; en autem, vt quondam Patriarcha Magnus Benedictus eodem ex loco scandentem in cœlum Beati Germani animam viderat, sic videt Ignatius Hozium circumfusa luce radiantem, in cœlum ab Angelis deduci. Neque tunc solum ea ipsi obiecta species; aliquanto post dum sacro interest (quamuis enim Sacerdos, nondum se satis ad operandum sacris paratum pu- tauerat) cum illa solemnis confessionis verba pronuntiarentur, & *omnibus sanctis*; videre visus est discedente cœlo, beatum socium in magna Super- rum corona, eodem cum illis splendore, ornatuque fulgentem; ex quo tan- tum illi affluxit dulcedinis, vt per multos dies tenere lacrymas non posset, beata illa socij specie semper oculis obuersante, & vero defuncti cadauer non vana exhibuit animi felicitis indicia, cum enim esset colore subnigro, orisque conformatione parum grata, morte qua fit inuisum & horridum quicquid ante pulcherrimum fuerat, Angeli speciem induit, vix vt agnos- ceretur à Codurio, qui spectando, flendo, osculando expleri non po- terat.

XXXVIII.

Pia opera, & molestia So- ciorum Pa- dua, & Bona- nia.

Defuncto Hozio, Ferraria Parauium Rodericius venit, solatium & opem Codurio ferens, qui labori solus illic sufficere, nõ valens ita paulò post ægro- tauit, vt Rodericius missionis pondus totum exceperit; huic tamen iuuando, & leuando socio ægrotanti, Deus opportune & commodè prospexit, dittes & nobilis Clericus, quem ab inueterata libidine, Codurius potenter abduxerat, licet multos annos cum amica, effreni amore traduxisset, tu- lissetque etiam ex ea filios; tanti sibi boni auctorem non tulit iacere in no- focomio, sed domum sublatus incredibili sollicitudine, restituendum vale- tudini curauit. Sed neque obniti Rodericius valuit primariæ feminae no- lenti omnino illum degere in nosocomio, nam huius liberis duobus om- ni ope cum Rodericius adfuisset; alteri, vt sanctè moreretur; alteri vt san- ctè in Religiosæ familiæ regula viueret, iam orba & vidua, liberorum lo- co alendum illum eo cupidius suscepit, quod filij duo supremis verbis alter moriens, alter valedicens ab ea petiissent vt Rodericium suo loco habe- ret. Priusquam verò Ferraria exiret, vbi cum Iaio, iuuandis animis dabat strenuam operam, aliud expertus fuerat argumentum illustre charitatis, & Dei suorum peculiarem gerentis curâ. Assignatum iis erat in nosocomio cum victu cubiculum, victus tamen demenso minimè utebantur, sed corrogato per urbem pane. Concionibus interim illorum, viæ, & compita feruebant, nosocomia verò & alia loca vbi prodesse animis daretur, illorum ministe- riis. Obseruabat hæc diligenter anus nosocomio præfecta, mirabatúrque ho- mines, tantum sibi laboris priuatim assumere, cum iam tantoperè alijs la- borarent, vt autem quid noctu etiam actitarent resciret (lucernam enim animaduertenter, in eorum cubiculo vigilare) rimis oculum admouit, vidit- que ab iis post aliquid somni ignem ex silice in lucernam accendi, tum vt erant rigentes frigore, pensum diuini officij, genibus flexis ambos per- soluere,

soluere, dehinc in alto silentio, itemque de genibus ad dici exortum orationem producere, exire denique ad celebrandum Sacrum, indeque ad solita charitatis officia diuidi. Hæc ergo quæ viderat cum iis componens quæ de fructuosis eorum laboribus foris audierat, cœpit illos pro sanctis venerari; augebant publice hanc opinionem exempla egregia contemptus proprii, tolerantia, studiique in Dei gloriam incensi. Quare de illis cognoscere optavit Piseatensis Marchio, tunc Ferrariæ prærens, quinam essent, vt si quod prædicabant, hoc viuerent, communicare cum illis conscientia arcanam tutò posset. In eorum itaque alterum cum aliquando incidisset, quæsiuit num esset ex sacerdotibus qui in Italiam venissent vt in Palæstinam proficiscerentur, & vbinam hospitium haberet, audiensque in nosocomio, tacitè illuc se contulit, accitæque anu interrogauit admodum serio, cuiusmodi homines Sacerdotes illi externi forent qui illuc diuertissent. Illa magno pietatis indicio viros esse sanctos; demptis aliquot ad quietem horis, noctem totam orando ducere, nunc vnà, nunc singulos; se suis id oculis spectasse; ne demensum quidem ab nosocomio benignè oblatum admittere, nec alio vesci nisi emendicato pane, sic malè à vestibus munitos contra asperissima cœli eius anni que frigora durare, nunquam tamen ad focum accedere; nihil posse in eorum moribus nota vlla dignum aduerti, nihil ex iis audiri nisi de Deo ac diuinis. Postremo actuosam illorum & beneficam in omnes operam, vrbis vniuersæ oculato præconio laudari. His pia Marchio, planè qualia optauerat auditis, ambos in vicinam palatio domum iussit ex hospitio pauperum transire, & quotidiana deinceps sportula aluit, adhibuitque ad res animi sui pro voto componendas. Ad hæc etiam illos in aulam induxit, vbi Iaius Ferrariæ iam solus, feraci labore excolendis animis insudauit, apud Ducem præsertim Herculem, qui eum sibi in patrem animæ delegit, eiusque gratia paulò post magnis auxiliis Societatem tutatus est, fera vexatione agitatum. Xauerio inter hæc, suum Bononiæ arduum, nec pati nec agere defuit: illuc aduenerat cum ante omnia enixe cupiit ad beatum corpus S. Dominici celebrare, quod habetur illic in magna veneratione, cumque illi esset propensè addictus, faciendo sacro pietatis motus insignes persensit cum grandi copia lacrymarum: aderat facienti inter alios monialis, sancta & nobilis ex tertio Ordine S. Dominici quæ ex Hispania ad sepulchrum optimi parentis, vitæ reliquum actura venerat. Hanc cepit desiderium cognoscendi de paupere illo Sacerdote, quis esset, cuius essent in Deum tam sublimes affectus tamque insoliti; secum ergo adscita sibi amicissima comite, alloqui hominem voluit, nec fuit nisi de diuinis sermo, in quo Xauerius tantos pietatis exeruit spiritus, vt Isabella Casalina monialis comes, & ipsa eodem ex Ordine, velut Deo plenam suspexerit, & mirificè apud patrum suum deprædicauerit. Erat is Hieronymus Casalini Foroliuensis S. Petronij Canonicus, & in templo S. Lucia Rector, cui nec difficile persuasum vt educto extra nosocomium Xauerio domi suæ hospitium daret; nec agrè ab eo agnitum quantæ

sanctitatis hospitem haberet, nam ex solo affatu quis esset Xauerius eminebat. Sed multo clarius vita omni perspecta inedomitis animi motibus admiranda, & in discruciendo corpore inuicta, serena nihilominus, valdeque hilari ut in qua Deo placendi alacritas, sensum omnem cuiusvis molestiae sopire videretur. Haud tamen valuit pius Canonicus ex eo extorquere, ut alio pane quam emendicato vteretur, vel remitteret aliquid de severitate erga corpus, quae concionum sanctis laboribus, aliarumque occupationum ingrauescens vires illi diurnas spondere non poterat. Magnis quin etiam desideriis opperiebatur praedicti sibi Vincentiae ab S. Hieronymo agonis, futuras Bononiae cruce, & vero his breui dedit initium haud paulo acerbius aliquor mensium quartana, quam si nullis cessisset interuallis, nam & ferendo agrotum agere, febris necessitas cogebat; & sanum quietis vacuae ardor impatiens, nec existimabat tanti esse quartanam, ut vel deberet animorum quaestum inhibere, vel asperitatis assuetae partem aliquam sibi detrudere. Aliunde vero ex fractis naturae viribus, dolorum sensus fiebat acutior, quanquam, ut hunc Deus voluptatibus animi leniebat, iisque potissimum, quae illi de reconciliatis Deo hominibus perditis affluebant. Quod si coniectaris assequi lubeat, cum scripto traditum non extet, referam quod illi Bononia dum Indias peteret transeunti obuenit. Nam ut primum adesse percerebuit, gestire laetitia ciuitas, ardere desiderio videndi, audiendique suprae ex eo monita, faustamque adprecationem, magno numero ad S. Luciae duabus ante ortum diei horis accurrere, (diuerterat enim in aedes Calalini Canonici proximas) praestolarique dum prodiret ad peragendum sacrum, ut autem comparuit, circumstare illum peramica gratulatione & teneritate tam familiari, ut oportuerit seorsim singulos ab eo audiri, & peculiari quemque affatu recreari. Re diuina multis cum lacrymis peracta, caelesti epulo multos tum eo die impertiit, tum consequentibus aliis quibus ibidem cum Oratore Lusitaniae substitit; eo quidem, & confidentium, & consulentium affluxu, ut de eo Martij ultimo ad Ignatium scripserit, multo plus sibi negotiorum fuisse, quam Romae ad S. Ludouici, ubi tamen occupatissimam operam copioso prouentu collocarat: proficiscenti demum amicorum, & piorum ingens frequentia adfuit, ut sibi vltimum bene precaretur flagitantium, quorum ipse vicissim cum sibi ad Deum preces deposceret, subdidit extremum hoc fore quod se essent visuri, quae verba omnium excepta sunt fletu, & fuere qui vellent quocumque gentium ac maris, illi se comites addere, quorum ad iter adeo immensum, ut acquiescere votis non potuit, ita nec verare quin affectarentur sat longo spatio, euentu licet optatis contrario, quo enim diutius illius aspectu audituque iucunde potiti sunt, eo acrius tandem ab eo diuelli oportuit. Haudquaquam tamen Xauerij discessu, nobilissima ciuitatis in Xauerium, aut Xauerij in illam amor inrepuerit: in eius siquidem gratiam, accita est illuc Societas, eademque illi S. Luciae aedes attributa, ad quam cubioulum habuerat, quod eius postea dicatum memoriae in sacellum egregium

egregium Deo sacratum est. Vice versa sanctus hodiéque pergit benè de se meritam ciuitatem miraculis, & beneficiis profequi, admoto ad ea obri-
nenda lucernæ oleo quæ coram illius imagine, in eodem sacello perpetuo ardet.

Atque hæc de rebus sociorum Patauij, Ferrariæ, & Bononiæ gestis ad nos peruenerunt. Ignatium verò, quem Roman profectum cum Fabro, & Lainio diximus, quàm carum gratumque haberet, viso admirabili ostendit Deus, quod in hunc modum ei obiectum est. Postquam Gallia discedens, in Italiam venerat, redire animo illos sensit familiares cum Deo congressus, & inusitatas effusi cæli delicias quibus olim Manresæ assuetus, Parisiis dein subtiliorum studiorum perplexa meditatione fuerat imminutus. Nunc vitam agens omninò cœlestem, annòque sibi post Sacerdotium assumpto, ad parandas sacrificiorum primitias, totum se votis ardentissimis apud Beatissimam Virginem dicabat: quorum summa hæc fuit, vt Magna Dei mater se totum integrè, in filij sui perpetuam possessionem transcriberet. His verò precibus subdebat faces ingens amor nonis quotidie ignibus inardescens, exprimendi ad viuum in seipso Christi; cuiusque pro Dei gloria, bonòque animarum patrantis grandia, magnaque patientis veram imaginem in se transferendi: huic apparatus intentus, Romam iter suscepit, in quo apud se assiduè versans quam deuotum ibat Vicario Christi suam sociorumque vitam omnem, eo incendebatur validius quo fiebat vrbi propinquior, vrgebátque vehementius, vt nihil iam sui, sed Christi totus esset, totus in eius gloriam absumendus. Pergebat flammis talibus incitatus, cum Senas præteruectus, paucisque iam Roma milliaribus, tantisper duobus ab sociis velat obiter subducit sese, & sacram ædiculam viæ imminuentem, semirutam, & incompositam solus subit, solus illic non longa, sed feruenti prece, pusillum Christo Societatis eius commendat gregem, quam eius Vicario delatum ibat, & quæ destinabatur in aliquod populosæ illius Societatis initium quam toties illi delineauerat; facturum se illius auctorem patremque pollicitus. Atque hic raptu occupatus dulcissimo repente ab sensibus auelli, & mentis oculo æternum Patrem clara in luce conspicere, audiréque vultu summè amabili ad filium conuerso (qui sub crucis fatiscens pondere ibidem adstabat) commendantem se illi mancipantemque se vt illius esset, atque vt verbis Ignatij vtar, cum illo statuentem, hoc est illius obsequiis totum penitus addicentem. Filium verò, tantæ deferentem commendationi, reductis in se ore admodum sereno oculis, concepta hæc sibi dicere. *Ego vobis Roma propitijs ero.* Post quæ sibi iam redditus varijs cœpit motibus affici, fiduciæ præsertim maxima, timorisque non parui. Christum enim se illi sic præbuisse spectabilem, velut cruci magis qua erat onustus, quàm sibi adiungi cum veller, omen credit durorum casuum, quibus esset Romæ certò exercendus; promissionem verò propitij ab Christo præsidij spes esse duxit, minimè dubias, crucis quamlibet graues portandæ incumberent, fore semper secum iunctis Christi

XXXIX.

*Iter Ignatij
Romam &
Christi pro-
missio de præ-
stando illi
Roma auxi-
lio.*